



**R. Patris, Francisci Svarez, E Societate Iesv,
Metaphysicarvm Disputationvm, In Qvibvs Et Vniversa
Natvralis Theologia Ordinate Traditvr, Et Qvæstiones Ad
omnes duodecim Aristotelis Libros ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ ; [Coloniæ Agrippinæ], 1630

Sect. 1. An verè aliqua rationis entia esse dicantur, & quomodo sub ente
sunt, qualeve esse habeant.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94179](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94179)

Dialecticæ, error Dialecticus est: nam finis illius scientiæ non est nisi dirigere & ad artem reuocare rationales hominis operationes, quæ non sunt entia rationis, de quibus nunc agimus, sed entia realia. Itaque nullus artifex, nulla ve scientia per se primo intendit entium rationis cognitionem, sed hæc tradi debet quatenus cum cognitione alicuius entis realis coniuncta est: quomodo Physicus agit de priuatione, quæ coniuncta est cum materia ad formam, & agit de vacuo per comparisonem ad locum, & sic de aliis.

Hocigitur modo Metaphysicæ proprium est agere de ente rationis ut sic, & de communi ratione, proprietatibus, & diuisionibus eius, quia hæ rationes suo modo sunt quasi transcendentales, & intelligi non possunt nisi per comparisonem ad veras & reales rationes entium, vel transcendentales, vel ita communes, ut sint proprie Metaphysicæ, nam quod fictum est, vel apparens, per comparisonem ad id quod verum est, intelligi debet. Quare licet alie facultates, ut Physica, vel Dialectica, aliquando attingant aliqua entia rationis quæ cum suis obiectis coniuncta sunt, ut iam exemplis ostendimus, tamen non possunt ex propriis rationes quasi essentielles eorum exponere. Hoc ergo ad Metaphysicum quali ex obliquo & concomitanterspectat, ut Alexander, D. Thom. & alii. 6. Metaph. notant, & Aristotelem ita exponunt, ut supra aduertimus: & ideo nec ipse Aristoteles in sua Metaphysica omnino prætermisit, ut patet ex lib. 4. cap. 1. & 2. & lib. 7. cap. vltim. Hoc itaque in præfati disputatione præstandum à nobis est: in qua prius qualemcunque naturam & causas huius entis declarabimus, deinde adiuncta diuisione varia genera horum entium indicabimus ea omnia in particulari attingendo, quæ ad hanc doctrinam pertinere videbuntur.

SECTIO I.

An sit ens rationis. & quam essentiam habere possit.



On defunt etiam in hac re sententiæ extreme contrariæ, saltem in vocibus, nam si authores earum præfatus examinatur, fortasse solum de vocibus contendunt.

Prima sententia negans entia rationis

- II. Quidam ergo simpliciter negant dari entia rationis, sed omnia, quæ de his dicuntur, posse optime de rebus ipsis intelligi, & in eis saluari. Hanc sententiam ita conatur defendere, disputandi potius quam asserendi gratia, Mairon. in quodlib. quæstione 7. & quidam Bernardinus Mirandulanus in expositione prædicament. illam defendit. Fundamentum esse potest, quia aut ens rationis dicitur, quia est in ratione subiectiue, vel quia est factum à ratione: & hoc non, quia in esse, & fieri, sunt proprietates entium realium: unde constat actus & species, quæ fiunt à ratione, eisque insunt, entia esse realia: vel dicitur esse ens rationis, quia est fictum à ratione, & contradictione involuit dicere tale ens esse, quia quod solum fingitur, non est. Vel saltem (quod ad rem magis spectat) sequitur talia entia rationis minime esse necessaria, neque ad doctrinas, neque ad res veras concepiendas: nam fictiones intellectus ad hos fines necessaria non sunt.

Alia sententia tribuens entibus rationis veram entis rationem.

- III. Altera sententia extreme contraria est, non solum dari entia rationis, verum etiam vnica significatione, atque etiam conceptione contineri sub com-

muni appellatione entis, quanquam secundum analogam convenientiam. Imo non defunt, qui inter nonnulla entia rationis, & aliqua realia ponant vniuocam convenientiam, ut inter relationes, quorum sententiam superius refutauimus. Nec etiam defunt qui entibus rationis attribuant entitatem independentem ab actuali cognitione intellectus, quorum opinio attingit quæstionem de modo quo consurgunt, vel suo modo causantur entia rationis, & ideo melius eam tractabimus sequeenti. Fundamentum ergo huius sententiæ esse potest, quia entia rationis absolute dicuntur esse, ut cæcitas, & similia: ergo conueniunt aliquo modo in ratione entis cum entibus realibus. Item, quia proprietates entis conueniunt entibus rationis, nam ens rationis vnum est, vel plura, & est intelligibile, &c.

Vera sententia.

Dicendum vero est, dari aliqua entia rationis quæ neque sunt vera entia realia, quia non sunt capacia veræ & realis existentie, neque etiam habent veram aliquam similitudinem cum entibus realibus, ratione cuius habeant cum illis communem conceptum entis. Prior pars huius assertionis communis est, ut patet ex communi usu & modo loquendi, tam in Theologia quam in Philosophia. Patet etiam ex distinctione superius tractata de relatione reali, & rationis nam relatio rationis, ens rationis est. Aristoteles etiam quinto Metaphysicorum, textu 14. distinguit duplex esse, aliud quod vere est in re, & aliud quod non semper est in re, sed solum in apprehensione mentis, ut cum dicimus hominem esse cæcum, nam illud esse, non indicat aliquid quod sit in homine, sed potius adiuncto reali prædicato ab illo aliquid remouet, tamē quia intellectus per modum entis apprehendit illam carentiam visus: ideo illam esse dicit in homine, quod esse significat veritatem propositionis, non existentiam in re. Atque ita ex hoc loco colligunt entia rationis Diuus Thomas & alii expostores. Et eodem modo idem Aristoteles quarto Metaphysicorum text. secundo, negationes & priuationes numerat inter ea, quæ aliquo modo dicuntur entia. Atque hoc magis constabit ex his, quæ infra dicemus de diuisionibus entis rationis.

Non potest autem ratione confirmari hæc pars, nisi prius explicemus quale esse, aut qualem essentiam habeat hoc ens rationis, de quo loquimur. Cum autem tem ens rationis, ut ipsum nomen præ se fert, habitudinem dicat ad rationem, merito distingui solet multiplex ens rationis, iuxta diuersas habitudines. Est enim quoddam ens, quod effectiue sit à ratione vera tamen & reali efficientia: quomodo omnia artificiatæ possunt entia rationis appellari, quia per rationem fiunt: non est tamen in usu hæc appellatio, quia propter solam habitudinem ad causam efficientem vel exemplarem non solet effectus ita singulariter appellari. Aliud est habitudo ad rationem ut ad subiectum inhesionis, & est magis propria denominatio, nam accidens dicitur esse eius subiecti in quo est, quia accidens est entis ens, & ita omnes perfectiones, quæ inhzrent intellectui, siue ab illo fiant, siue aliunde proueniant, vel infundantur, dici possunt entia rationis. Sed nunc non est sermo de illis, quia illa sunt vera entia realia, contenta sub genericibus accidentium hæcenus declaratis: unde neque illa acceptio entis rationis multum est vtitata, quia ratio valde materialiter consideratur in ea habitudine. Alio ergo modo dicitur aliquid esse in ratione per modum obiecti, nam quia cognitio fit per quandam assimilationem & quasi attractionem rei cognitæ ad cognoscentem, dicitur res cognita esse in cognoscente, non solum in hæsiue per suam imaginem, sed etiam obiectiue secundum seipsam.

Id aut.

IV.
Entia rationis dari oportet.

V.
Entia rationis non dari diuiso.

V.

Id autem, quod sic est obiectiue in mente, interdum habet, vel potest habere in se verum esse reale, secundum quod rationi obicitur: & hoc absolute & simpliciter non est verum ens rationis, sed reale, quia hoc esse est quod simpliciter, ac per se illi conuenit, obicitur autem rationi est illi extrinsecum & accidentale. Aliquid vero interdum obicitur seu consideratur à ratione quod non habet in se aliud reale ac positum esse præter quam obicitur intellectui seu rationi de illo cogitanti, & hoc propriissime vocatur ens rationis, qui est aliquo modo in ratione scilicet obiectiue, & non habet aliud nobiliorem aut magis realem essendi modum, unde possit ens appellari. Et ideo recte definitur solet, ens rationis esse illud, quod habet esse obiectiue tantum in intellectu, seu esse id, quod à ratione cogitatur, vt ens, cum tamen in se entitatem non habeat. Vnde recte dixit Comment. 6. Metaphys. com. 3. ens rationis solum posse habere esse obiectiue in intellectu. Et D. Thom. opus. 42. c. 1. ait tunc effici ens rationis, quando intellectus nititur apprehendere quod non est, & ideo fingit illud aliquo modo vt ens: & idem significat 1. parte q. 16. artic. 3. ad 2. & 1. 2. quæst. 8. art. 1. ad 3. ait. Illud quod non est in verum natura accipi vt ens in ratione. Eodem modo declarant naturam entis rationis Socrates lib. 10. Metaph. q. 5. Caiet. de ente & essen. c. 1. Durand. in 1. d. 19. q. 5. num. 6. & quæst. 6. num. 9. & d. 33. quæst. 1. num. 10. quamuis hic addat, totum esse entis rationis esse denominationem extrinsecam ab actu rationis, quod æquiuocum est & habet difficultatem tractandam sectione sequenti.

VII.

Ex hac ergo declaratione vocis, quæ etiam est definitio rei significatæ, quantum hic esse potest, manifeste colligi videtur dari aliqd quod illo titulo possit ens rationis dici. Nam multa cogitantur ab intellectu nostro, quæ in se non habent reale esse, et si cogitentur ad modum entium, vt patet in exemplis adductis de cæcitate, relatione rationis, &c. Item multa cogitantur, quæ sunt impossibilia, & modo possibile entium finguntur, vt chymara, quæ non habent aliud esse quam cogitari. Item hoc ipsum, quod agimus disputando de ente rationis, non fit sine aliqua cogitatione eius, & per reflexionem etiam concipimus nos disputare de quodā genere entis, quod in se vera non est. Nemo ergo nisi propriam vocem ignoret, negare potest dari aliquid huiusmodi sola cogitatione fictum, nisi forte in æquiuoco laboret in vsu illius verbi dari, aut esse. Cum enim dicimus dari, aut esse entia rationis, non intelligimus dari aut esse à parte rei secundum veram existentiam, alias reputantiam in terminis inuolueremus: vnde si hoc solum negare intendunt, qui negant dari entia rationis, nobis non contradicunt, non tamen vtuntur illis verbis iuxta subiectam materiam, dicuntur enim dari aut esse huiusmodi entia non simpliciter, sed secundum quid, iuxta capacitatem eorum, scilicet tantum obiectiue in intellectu, & sic est res clara. Modum autem huius existentie magis declarabimus in sect. sequenti.

VIII.

Cur entia rationis excogitata sint.

Secundo colligitur ex dictis, quæ sit radix vel occasio fingendi, aut excogitandi huiusmodi entia rationis. Triplex enim assignari potest. Prima est cognitio quam intellectus noster consequi conatur de ipsis etiam negationibus, & priuationibus, quæ nihil sunt. Cum enim obiectum adæquatum intellectus sit ens, nihil potest concipere, nisi ad modum entis, & ideo dum priuationes aut negationes concipere conatur, eas concipit ad modum entium, & ita format entia rationis. Hanc rationem tangit D. Thom. citatis locis, quæ non videntur habere locum in relationibus rationis, & ideo addenda est secunda causa proueniens ex imperfectione nostri intellectus: cum

enim aliquando non possit cognoscere res prout in se sunt, eas concipit per comparisonem vnus ad aliam, & ita format relationes rationis, vbi veræ relationes non sunt. Sicut enim, quia non potest vnico conceptu distincte cognoscere totam perfectionem vnus rei simplicis, eam partitur diuersis conceptibus, & sic format distinctionem rationis, ita dum inter se comparat ea, quæ in re ipsa relata non sunt, relationem rationis format. Indiget autem sepe comparatione, quia non potest concipere rem prout in se est: vel certe, quia modo sibi accommodato vult explicare, id quod est in re sine tali modo, vt prædicat idem de seipso, dicens esse idem sibi. Atque hi duo modi fundantur aliquo modo in rebus, vel ordinantur ad cognoscendum aliquid, quod vere de rebus ipsis dici potest. Est tamen tertia causa proueniens ex quadam fecunditate intellectus, qui potest ex veris entibus ficta conficere, coniungendo partes quæ in re componi non possunt, quomodo fingit chymaram, aut quid simile, & ita format illa entia rationis, quæ vocantur impossibilia, & ab aliquibus dicuntur entia prohibita. In his autem conceptionibus non fallitur intellectus, quia non affirmat ita esse in re, sicut ea concipit conceptu simplici, in quo non est falsitas. Et ita satis responsum est argumentis primæ sententiæ.

Quid commune sit entibus rationis cum re libus.

Tertio facile est ex dictis contra posteriorem sententiam ostendere, ens rationis quamuis aliquo modo participet nomen entis: & non mere æquiuocè & casu (vt aiunt) sed per aliquam analogiam, & proportionalitatem ad verum ens, non tamen posse participare, aut conuenire cum entibus re libus in conceptu eius. Prior pars constat ex Aristot. 4. Metaphysic. in principio vbi analogiam entis declarat etiam in ordine ad priuationes & negationes, libro 5. cap. 7. in diuisione entis similiter numerat entia rationis: in illo autem libro non distinguit nomina mere æquiuoca. Præterea, quia vt ex dictis constat, ens rationis non est appellatum ens nisi quia ad modum entis fingitur & cogitur, vt in relationibus rationis manifeste constat: sicut etiam distinctio rationis appellatur distinctio propter aliquam proportionalitatem ad veram distinctionem rei, vel quia aliquo modo fundatur in distinctione conceptuum, quam intellectus facit. Denique, quod secundum nullam habitudinem vel proportionem comparari potest ad verum ens, non potest ens rationis appellari, neque appellationem entis villo modo participare: ergo non dicitur ens de ente rationis nisi per aliquam analogiam, saltem proportionalitatis, aut aliquam habitudinem, scilicet, quia aliquo modo fundatur in ente, vel illud refert.

Communis autem conceptus nullo modo habet hic locum, quia huiusmodi conceptus requirit, vt forma significata per nomen vere & extrinsece participetur ab inferioribus: esse autem, à quo ens dictum est, non potest intrinsece participari ab entibus rationis, quia esse obiectiue tantum in ratione, non est esse, sed est cogitari aut fingi. Vnde communis descriptio, qualis dari potest de communi conceptu entis, scilicet, id, quod habet esse, reuera non conuenit entibus rationis, & ideo nec dici possunt habere essentiam, quia essentia simpliciter dicta, dicit habitudinem ad esse, seu capacitatem eius: ens autem rationis tale est, vt ei repugnet esse. Ex quo etiam nascitur differentia inter accidens & ens rationis: nam accidens, absolute & sine addito potest dici ens, quia licet sit analogice ens, tamen est proprie & intrinsece ens: ens autem rationis non potest absolute dici ens, sed cum aliquo addito, quod declarat non esse verum ens, sed per modum entis cogitatum.

tatum. Et confirmatur, quia plus distat in ratione entis ens rationis ab ente reali, quam homo pictus à vero, nam hic saltem intercedit realis similitudo in aliquo accidente, quæ inter ens reale & rationis nulla esse potest. Dices, Simili argumento probaretur non posse hic interuenire analogiam proportionalitatis, quia ens rationis neque proportionem habere potest cum ente reali. Respondetur, quamuis ens rationis ut sit in se non habeat proportionem aut fundamentum proportionis, quia in se nihil est, cogitur tamē ad modum habentis proportionem vel habitudinē, & hoc satis est ad fundandam aliquam analogiam, quam docuit Diuus Thomas q. 2. de veritat. a. 11. ad quintum.

SECTIO II.

Verum ens rationis habeat causam, & quenam illa sit.

I. *Entis rationis nulla causa finalis.*



Ecce questio solum potest intelligi de causa efficiente, nam ens rationis ex se nullam proprie habet finalem causam, quia non est aliquid per se intentum à natura, vel ab aliquo agente. Quod si ex parte hominis excogitantis aut fingentis entia rationis, finalis aliqua ratio reddi possit, illa magis est finalis ratio ipsius cogitationis hominis, quæ ipsius obiecti facti & cogitati: & ille finis satis explicatus est in sectione præcedenti. Rursus cum ipsum ens rationis fingatur per modum cuiusdam formæ, ut relationis vel aliquid simile, non est illi necessaria alia formalis causa. Ac denique, cum in nulla re sit subiectiue, sed tantum obiectiue in intellectu, ut dictum est, etiam non habet causam materialem, quamquam si res quæ ab ente rationis denominatur, consideretur per modum subiecti, possit dici materia vel quasi materia illius denominationis aut formæ. Et consequenter si illud sic denominatum, consideretur, ut quid compositum per rationem, possit dici habere causam formalem, scilicet, ipsum ens rationis in abstracto sumptum, ut cum homo, verbi gratia, dicitur species, illud conseruetur species, est quoddam ens rationis, cuius materia est homo, forma vero relatio speciei: quod secundum varias opiniones, & pro varietate etiam entium rationis explicandum est diuersis modis, iuxta ea quæ inferius dicemus.

Prima sententia de causa efficiente entium rationis.

II.

De causa ergo efficiente solum dicendum est. Aliqui enim hanc causam simpliciter negant de entibus rationis. Ita sentit Soncin. sexto Metaphysicæ. questio. 18. quamuis non dicat absolute non habere causam, sed non habere causam dantem eis esse, & loquitur aperte de esse existentia, quo sensu est res clarissima, quia ostensum est ens rationis non habere esse nisi obiectiuum in intellectu. Ut tamen superius dixi, hæc quæstiones accipiendæ sunt iuxta subiectam materiam, & ideo suppositis quæ diximus de natura entis rationis, ineptum esset inquirere causam quæ per realem efficientiam illi esse tribuat, siue mediate siue immediate. Tamen cum ens rationis non semper sit eo modo quo esse potest, aliquando vero esse incipiat, eodem proportionali modo non est ineptum querere causam huius qualiscunque esse talis entis.

Affertio prima.

III. *Causa efficiens entis.*

Sic ergo dicendum necessario est primo, dari aliquam causam efficientem à qua habet ens rationis ut suo modo sit, quamquam efficientia eius ut est realis productio ad illud non terminetur, ut ad ter-

minum effectiōis, sed tantum ut ad obiectum ipsius termini producti. Probatur, quia quamuis ens rationis non habeat esse reale, habet tamen esse obiectiuum quod tamen non semper habet: ergo quod nunc illud habeat, & non antea, in aliquam causam aliquo modo, efficientem referendum est: alioqui nulla ratio sufficiens illius qualiscunque varietatis reddi posset. Item illud esse obiectiuum, quamuis in ipso ente rationis nihil sit, tamen necessario supponit aliquid esse reale in quo fundetur, vel à cuius denominatione seu habitudine illud esse obiectiuum quasi resultat: illa ergo causa quæ efficit tale esse reale, est causa entis rationis. Et hinc facile patet posterior pars conclusionis, nam talis causa per realem efficientem aliquid operatur, ut, verbi gratia, talem cogitationem vel fictionem, quæ in ipso intellectu quippiam reale est, tota vero illa efficientia, ut ad terminum realis productionis terminatur ad formam conceptum ipsius mentis, & ibi sistit: inde tamen fit, ut illemer conceptus formalis terminetur aliquo modo ut ad obiectum, ad ipsum ens rationis quod cogitur, aut fingitur. Atque ita tandem ipsum ens rationis habet esse obiectiuum in intellectu.

Affertio secunda.

Dico secundo. Intellectus est causa efficiens entium rationis: efficit autem illa, efficiendo solum aliquam cogitationem, vel conceptum suum, ratione cuius dicitur ens rationis habere esse obiectiuum in intellectu. Hæc satis constat ex præcedenti, & ex ipsa appellatione entis rationis prout superius explicata est, quia si ens rationis habet esse tantum obiectiuum in intellectu, ergo illud habet medio aliquo actum intellectus, cui obicitur: ergo per efficientiam illius actus habet illud esse: illa ergo appellatur efficientia ipsius entis rationis lato modo & iuxta materię capacitatem, ut sæpe diximus. Contra hanc assertionem referri posset opinio, asserens omnem extrinsecam denominationem esse ens rationis, etiam ante omnem intellectus considerationem, de qua statim dicam.

IV.

Intellectus est causa efficiens entis rationis.

Varia dubitationes circa assertionem posuam.

Circa hanc enim assertionem occurrunt multa inquirenda & explicanda. Primum est, quæ sit illa actio vel cogitatio intellectus, per cuius efficientiam dicitur ens rationis resultare & consequenter an per quolibet actum mentis resultet in obiecto aliquid ens rationis, vel solum per certos ac determinatos actus & quin illi sint. Deinde, an conficere hoc modo entia rationis sit proprium intellectus vel conueniat etiam voluntati, aut etiam sensibus, & in vniuersum potentiis habentibus propria obiecta. Denique, an hoc intelligendum tantum sit de intellectu humano, vel etiam per diuinum, aut Angelicum resultent entia rationis.

Opinio asserens consistere ens rationis in extrinseca denominatione.

V.

VI.

Est ergo quorundam opinio, entia rationis nihil aliud esse, quam denominationem extrinsecam, qua res cognita denominatur ab actu intellectus secundum aliquam proprietatem, aut conditionem conuenientem illi quatenus cognita est, quæ denominatio potest esse multiplex. Prima omnium videtur esse illa, qua dicitur res esse cognita, nam hæc etiam est denominatio extrinseca proueniens ab actu rationis, & non cadit in re, nisi prout est obiectiuum in mente. Deinde sunt denominationes sumptæ ex variis opinionibus intellectus, ut ex prima, esse vniuersale, genus definitum, &c. ex secunda, affirmari, negari, &c.

EX 195